

factum, Mosisque: illi enim virgas in serpentes verterunt ope daemone, seu daemone clam celeriterque semina colligente, quae ad dissoluendas, ac conterendas virgas, et in serpentes commutandas vim habebant: hinc nihil miraculi in hoc fuit: Moses vero e contrario sola diuina virtute, nullius naturalis causae auxilio atque vsu hoc perfecit, qui et illam ranarum immensam copiam, de qua Exod. vii. manum dumtaxat in diuini imperii, virtutisque argumentum porrigens, adtollensque in Aegyptum induxit.

Ad quantum ex eo responsio habetur, quod quum possit daemon sua naturali vi aërem vehementissime concitare, nisi diuinitus impediatur, et procellis, turbinibus, fulminibus, aliis, haec inferiora turbare, naturaliter ea contingere potuerunt quae in argumento tamquam vera miracula producuntur.

Aduocatus autem Eliae precibus ignis, quin aër, aut naturalium causarum alia quidquam conferret; atque sic e Coelo lapsus, non holocaustum solum, et ligna, sed et lapides altaris momeato citius absumpsit; quin et aquam ductae circum altare foueae repente exhausit, frustra prius ad quid simile praesrandum Prophetis Baal conmissis. Similiter ad deuorandos quinquagenarios duos Principes, et quas ducebant cohortes, nulla naturalium causarum intercessit virtus, sed solo Eliae diuina virtute freti imperio factum legimus iv. Reg. i.

In vltimo quod obiectum est, insigniter falluntur Aduersarii, dum dicunt, excitatum a mortuis Samuelem a Pythonissa: sunt siquidem duo haec longe diuersa, et sciunctam a corpore animam ad illud viuificandum reuocare, et Daemonem cum hominis spiritu conloqui, eumque ex adbitis receptaculis, Deo quidem permittente, transferre. Prius diuinae omnipotentiae ita proprium est, vt nec vnquam a Daemone sit factum, sed nec fieri possit: alterum naturali eius potestate subiectum esse vltro damus, nam et Daemon Christum Dominum loquutus est, eundemque non reluctanter e deserto in pinaculum templi, atque inde in montem excelsum transtulit. At Samuclis spiritum reuera carminibus Pythonissae non fuisse a requiei suae statu excitatum, sed Saulis, aliorumque oculis a Daemone oblatum spectrum, quod Scriptura Samuelem vocat vsitato loquendi modo, quo imagines rerum nominibus solent adpellari, S. Thomas docet (24). «Non esse absurdum credere aliqua dispensatione permissum, vt non do-  
»mi.

(24) Vbi supra.

»minante arte magica, quae Pythonissam et Saulem latebat, se ostenderet spiritus iusti aspectibus Regis diuina eum sententia percussurus», Augustinus ait (25). «Quid si Daemone arte id factum sit? Etsi Daemon animam alicuius iusti nequeat euocare, et adigere ad aliquid agendum, fieri tamen diuina virtute potest, vt dum Daemon consulitur, Deus ipse per nuntium suum veritatem aperiat; quem admodum per Eliam vera respondit nuntiis ad consulendum Beelzebub Deum Accaron ab Ochozia Rege missis, vt legimus iv. Reg. i.

Ast de his satis superque dictum: quo tandem de Angelis disputationi finem ponamus, vt ad hominis productionem edisserendam accedamus.

## LIBER III.

*Qui de hominis opificio est.*

### CAPVT I.

*Praeadamitarum fabula exploditur.*

Adam omnium omnino hominum primus est, nec fingi ante eum alii possunt, nisi stultissime.

**D**ocent id Scripturae. Nam in Genes. i. dicitur Deum in principio, seu quod in idem redit in temporis exordio, Coelum et Terram condidisse, atque cuncta rerum genera sex dierum spatio perfecisse; sexto autem fecisse Adamum ad imaginem et similitudinem suam. Haec Moses, ex quo velut antiquissimo, ac veracissimo auctore, mundi historiam, rerumque a Deo productarum notitiam hauriendam, primo iam libro dictum fuit. «Qui ergo erant praeadamitae illi, si nullus antea Deo auctore prodierat, id Mose adstante? Si antehac neque Coelum erat, neque terra, vbinam homines illi habitabant? Neque enim homo cap. ii. productus alius ille ac diuersus est ab eo, quem sexta die Deus condidit: etenim si res ita haberet, «quidam et herbas, et plantas, et animantia, et volatilia Coc-  
R 2

II

(25) Lib. ii. ad Simplic.

li ab iis differte dixerimus, quorum originem primo capite descripserat? Nam de his mentionem Moses in cap. ii. facit, ubi ait: »istae sunt generationis Coeli et Terrae, quando creata sunt, in die in quo fecit Dominus Deus Coelum et Terram, et omne virgultum agri... et omnem herbam regionis«. Verum haec cui sobrio quidem in mentem veniunt? Vt ergo vna est, eademque in capite vtroque mundi a Deo conditi productio, partiumque eius primo productarum descriptio, omnesque plantae, cunctaque animalia ex prioribus iis capite primo descriptis exorta sunt; ita et omnium omnino hominum ab vno illo, de quo est in primo capite contractior, in secundo paullo prolixior sermo, vna, eademque est origo; sed factam antea narrationem creationis eiusdem hominis resumens Moses, eandem adcuratius describit; ob eam potissimum rationem quod diuinorum operum praestantissimum homo fuerit, cuius gratia cetera condita sunt vniuersa.

Accedit quod legitur cap. v. Genes.: in compendium, scilicet redigens Moses quae in primo capite de homine condito innuerat, Adamum illum adpellat, vt videas eundem illum esse, qui primo capite, et qui capite secundo formatus dicitur; non vero Adamum alterum, vt Praeadamitae fabulantur. Sic enim loquitur: »hic est liber generationis Adam. In die, qua creauit Deus hominem, ad similitudinem Dei fecit illum; masculum, et foeminam creauit eos, et benedixit illis: et vocauit nomen eorum Adam in die qua creati sunt«. Idem ergo est Adam, qui capite primo creatus innuebatur, ac qui capite secundo prolixius descriptus est.

Praeterea: Adami formationem enarraturus Moses, ita praefatur: »et homo non erat, qui operaretur terram«. Quae verba veritatem non habent vllam, si alii ante Adamum conditi ponerentur homines, quorum distinctam prioremque originem capite primo descriptisset: nam il homines proculdubio terram excoluissent, vt sibi vitae necessaria compararent.

Similiter: Moses obseruat Adamum vniuersis animalibus nomina primitus indidisse, dum haec ad ipsum Dei iussu adducta sunt. »Formatis igitur, inquit, Dominus Deus de humo cunctis animalibus terrae, et vniuersis volatilibus Coeli adduxit ea ad Adam, vt videret quid vocaret ea: omne enim quod vocauit Adam animae viuentis, ipsum est nomen eius«. Quod si homines fuissent Adamo priores, qui illum longo annorum tractu praecessissent, animalia

ano-

anonyma haud reliquissent; quum et ipsi ratione, atque sermone vsi essent, non minus quam Adae posteris.

Ad haec: artium inuentores non alios fuisse notat Moses ipse cap. iv. quam Adae posteros; quin etiam nominatim obseruat ille, quis fuerit cuiusque auctor artis, et inuentor: quamnam autem homines ille Praeadamitae vitam ciuilem sine artibus ducere potuissent? Si igitur ante Adamum artes non erant, neque homines.

Firmissima haec sunt; sed sunt alia in Scripturis robustiora. Primo quidem quod passim in diuinis litteris vnus idemque homo totius humani generis caput nominetur. Sic Sap. x. ubi scriptum est: »qui primus formatus est a Deo Pater orbis terrarum«: sic et Act. xvii. ubi dicitur: »fecit Deus, ex vno omne genus hominum inhabitare super vniuersam faciem terrae«. Quae omnino necessario ruerent, si duo generis humani capita ponerentur, ex quorum vno Gentiles, ex altero Iudaei seorsim propagati sint.

Secundo: quod Apostolus ad Rom. scribens cap. v. adserit, »per vnum scilicet hominem peccatum in mundum intrauit, et per peccatum mors; et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt«. Et infra: »sicut per vnus delictum in omnes homines in condemnationem, sic et per vnus iustitiam in omnes homines in iustificationem vitae«. Quam quidem peccati originalis fidem his testimoniis fundatam, atque ab vtraque, et Orientis, et Occidentis Ecclesia professam, insanum Praeadamitarum commentum de medio tollat necessum est. Etenim si Iudaeorum tantum primus parens censendus est Adam, non omnium omnino hominum; quomodo omnes ac singuli homines originis peccatum ex illo ipso contraxissent? Quomodo labes illa originaria ad homines peruisset genere, et stirpe diuersos, qui nihil ab Adamo habuissent, nisi ex eius semine vitiatum deriuassent?

Neque argumenti vim frangit, quod stultissimus systematis Praeadamitarum auctor reponit; nempe, necessum non esse, omnes homines ab Adamo originem ducere, vt omnes in Adamo peccasse censeantur; nam vt ipse haerolatur, vnus peccatum alteri imputari optime potest, tametsi suam ab ipso originem nullatenus ducat; sed alio forsitan titulo. Quemadmodum Regis peccatum quandoque imputatur populo: vt Sedeciae Regis periurium Iudaeis omnibus vsque adeo imputatum est, vt ob id vinciti, et dediti, in Babylonem adducti sint.

Non

Non inquam hoc argumentum enervat. A catholica quippe fide alienum prorsus est fabulari, homines peccatores constitui per solam adamitici peccati imputationem; quum e contrario illud sit vnde quaque certum, eos nasci peccato irae filios natura; peccato quidem quod vnicuique proprium nascendo sit, et in singulos carnali generatione transfusum, animam reipsa inficiens, vereque commaculans; non externa dumtaxat imputatione, vt in obiectis Scripturarum exemplis effectum est. Damus ergo, peccatum vnius hominis imputari alteri posse morali quadam et externa imputatione, quamquam alter ab altero originem non trahat, vt in adlatis exemplis: at repugnat, vnius peccatum in alterum transfundi, vt transfunditur peccatum originis nisi ab altero originem trahat. Peccatum vnius alteri imputatum ratione communicationis siue mysticae, siue ciuilibus, poenam dumtaxat temporalem iis infert, quibus occulto quodam iudicio imputatur; peccatum autem originis poenam aeternam secum adfert mortalibus vniuersis.

Neque vterius argumenti vim eludit, quod auctor idem denuo excogitauit, nempe omnes quidem homines ex Adamo peccatum originale contrahere, non quod ex illo omnes omnino primam olim originem traxerint; sed quia nulli iam extant eorum, qui ex altero Protoparente ab Adamo diuerso suam originem deriuarunt; solique post diluuium homines procreati sunt homines qui ex Adamo primam originem ducunt: quia deletio per diluuium vniuerso humano genere, ex duobus parentibus vsque tunc propagato, sola familia Noe ex Adamo recta maiorum serie descendens incolumis euasit, humanumque genus filiorum procreatione restituit; et in totam posteritatem, quae sola deinceps mundum vniuersum repleuit, peccatum originale transmisit.

Non, inquam, et hoc argumenti vim eludit; quandoquidem fides catholica docet, non modo qui supersunt hodie, quique ex Noemi familia sunt propagati, homines vniuersos peccatum originale ex Adamo contrahere, sed et omnes omnino, quacumque aetate vixerint etiam ante-diluuianos; quippe qui peccatores, et mortales, seu legi mortis fuerint subditi. Haec enim sunt Pauli verba: »per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, et per peccatum mors«. Sapientis quoque sententia est: »creauit Deus hominem inexterminabilem . . . inuidia autem Diaboli mors intrauit in orbem terrarum«. Diaboli, inquam, Adam a Deo immortalem creatum, ad

pec-

peccatum pertrahentis; ergo quum Praeadamitae Fabulatores homines suos, quos ex alio Protoparente ab Adamo distincto originem ducere adseruerant, et peccatores, et mortales fuisse fateantur; peccati originalis fidem labefactant, dum illos peccato originis non fuisse infectos, compelluntur concedere.

Atque huic argumentorum generi Patrum auctoritas erat adiungenda. Quorsum tamen? Nam ipse auctor systematis fatetur, alienam a Patribus esse suam sententiam. »Fateor, inquit, me non latuisse hypothesim, quae mihi venit in mentem de primis hominibus ante Adamum conditis, diuersam penitus ab opinione SS. Patrum, nec non aberrauisse a toto orthodoxorum Canone, totamque doctrinae christianae fabricam de homine lapsa, et redempto fundatam fuisse a Patribus et Conciliis super hypothesi de Adamo primo omnium hominum formato«. Addit in huius rei confirmationem, posse quam optime vera esse etiam quae ex falsa hypothesi consequuntur; vt in systematibus Copernicis ac Ptolomei videre est, quae probant inuicem pugnantia. At quam frigida ista sunt, et improbabilia? Vel ipsis ergo Praeadamitis fauentibus, traditioni Patrum fabula isthaec repugnans et contraria est.

Verum addamus et hic alterius generis argumenta. Sit primum: negari non potest, Noeticum diluuium vniuersale fuisse adserente Scriptura Genes. vii., aquas nimis praeualuisse super terram, et opertos omnes montes excelsos sub Coelo vniuerso, consumptam similiter omnem carnem, quae super terram mouebatur, scilicet bestias, reptilia, homines, et cuncta in quibus est vitae spiraculum, solumque Noe cum iis, qui vna cum illis erant in arca, remansisse. Huius autem diluuii famam ad omnes orbis nationes et gentes peruenisse Iosephus probat (1): hinc et sparsa etiam fama est diluuii Deucalionis et Ogygis. Sed haec non esse alia a Noetico diluuiio haec momenta suadent. Ac de diluuii Deucalionis quidem haec Apollodorus scribit (2): »vbi prolem aeneam tollendam Iupiter censuit, Deucalionis fabrefacta e lignis arca, rebus necessariis impositis in eam ingressus est«. Quis autem non videat, aeneam prolem Gigantes esse, de quibus liber Genesis, Deucalionis vero Arcam quam Noe fabricatus est? Insuper Deucalioni tres filii tribuuntur a Luciano de Dea Sytia, quot ex Noe natos legimus in Genes. Itemque, Plutarcho dicente,

Deu-  
te Paganis.

fingiam in hoc  
tunc q. erkando  
el uno pido  
aia aiaq. va-  
lican hias; i. e. hia-  
do par Pyrao. mui. con-  
q. re reparat el mon-  
do.

(1) Lib. i. Antiq. cap. 4.

(2) Sub Inicium Biblioth.

Deucalioni columba ex arca missa fluctuum detulit indicium certum; qui deinde ex arca egressus altaria posuit, arca in montium vertice consedente; quae omnia de Noe, et ab ipso constructa Arca in Genesi legimus: vnde recre Philo (3): »hunc Deucalionem Graeci, »Noe vero Chaldaei adpellant«. Ergo Noe diluuium et diluuium Deucalionis vnum est, illudque vniuersale, cuius notitiam Gentes ex libris sacris hauserunt.

+  
Noy de Ge-  
bae en cuius  
dians d'icou  
9. iudicio  
et diluuiio.

Idem sentiendum est et de diluuiio Ogygis, quod ad annum ante primam Olympiadam millesimum ac vicessimum Iulius Africanus, aliique referunt: adeoque contigisse opus est iuxta Vsserii Chronologiam ann. 2208. atque post vniuersale diluuium annos amplius quam trecentos. Tamen haec ex Atticorum historia, siue fabula orta ex diluuiio. Enim vero Ogygem alii Neptuni filium faciunt: Neptuni et Arnae adpellant alii: ab aquis deriuatum sunt qui dicant; vnde Oceanus etiam dicitur, quasi Ogen, vel Ogenus. Quidam Iaphetum Noe filium, cui obtigerunt Mediterranei insulae, et Europea continens; vbi ad transfretandum necessarium duxit nauticam instituere, vocant. Ogyges ergo alter a Noerica stirpe ortus, et a naufragio superstes fuit; vnde et diluuium Noericum vniuersale fuit, et omnibus notum, ex quo Deucalionis, et Ogygis diluuiorum fama manauit.

Secundum: Gentes quascumque a Noerica posteritate originem ducere, ex ipsis earum historiis euincitur. Etruriae siquidem populi, ceteris Occidentalibus antiquiores, ortum suum a Vandimone ducunt, qui a Latinis Ianus, a Syriis Noa vocatur. Ita legitur in Scarith. ix. xxv. et ii. a Iano autem Italos deriuasse consentiunt Scriptores. Latinos vetustissimum Italiae Deum habuisse Saturnum recte tradidit Herodianus (4). At in Saturno agnoscamus necesse est, vel Adami, vel Noemi personam. Atque ita Latini nullum Adamo vetustiorum agnouerunt.

Sed haec indigitasse sufficiat; neque enim opus his est, vt demonstretur Praeadamitici systematis stultitia, potissimum quum et Scripturis, et traditione id osensum sit, nempe, Adamum omnium omnino hominum fuisse primum.

CA-

(3), In Lib. de Praemiis. (4) Lib. i. Histor. cap. 16.

## CAPVT II.

*Praeadamitici systematis ortum, progressumque refert:  
eiusdem fundamenta enervat.*

Praeadamitarum itaque fabulae auctor, et parens Isaacus Peyrierius vulgo fuisse creditur; vir quidem professione Medicus, Religione primum Caluinista, qui fallaci hominum ingenio indulgens, atque Sectariorum hominum consuetudinem sequutus, Pactum et Orthodoxorum Conciliorum auctoritatem contemnendum, male feriatam Anteadamitarum fabulam in mundum inuexit, librum ea de re publicae lucis faciens, quem subinde, haeresi eiurata, Romae quum degeret Alexandro VII. Pontifice Max. contrariae scriptioe confutauit, damnauitque; ita tamen leuiter, atque succinate; vt nemo vnus non videat, eum certe animo repugante palinodiam decantasse. Visum itaque ei fuit in scribendo, qua ratione Caluinus traditiones SS. Patrum detrectauerat, licere sibi et has, et caluinianas simul parvipendere: et hoc fine in Gentilium historiis scrutatus fabulosam antiquitatem nouitatum amatoribus studuit venditare, scilicet, fuisse ante Adamum homines plurimos, illumque haebraici dumtaxat generis parentem esse. Quae vt in vulgus sunt sparsa Namuracensis primum Episcopus anno 1655. proseripsit, deinde Scriptores omnes tum Catholici, quum Sectarii.

Ast, vt id dicamus quod verosimilius adparet, error hic Peyrierio multo antiquior videtur: adnotat quippe Rabbi Maimonides, Scriptor Hebraeus (1), Zabaecos (nescio cuius aevi, et furfuris homines) docere fuisse solitos, Adamum Patrem ac Matrem habuisse, infans etiam in moribus ac litteris institutorem fuisse sortitum, nomine Tambuscum. Quae Zabaecorum altera fabella nouum inuehit absurdum: ea nempe non modo alii ante Adamum homines finguntur, verum et Adam ipse a Deo minime conditus dicitur, sed ab aliis hominibus et genitus, et institutus.

Quidquid tamen hoc fuerit, hodierni Praeadamiticae fabulatores duas diuersorum hominum procreaciones a Mose Genesis initio enarrari sentiunt, vnam nempe, cap. i., cap. ii. alteram. Illam, qua Gentilium Parentem et caput condidit Deus, cuius nomen, et Posteris silen-

Tom. II.

S

len-

(1) In More Neuchim.

lento sacer Scriptor praetermisserit; istam, qua in lucem prodierit Adamus gentis Iudaicae Protoparens. Primam quidem longo annorum intervallo ista priorem.

Hauerunt autem huius interpretationis occasionem ex methodo a Mose in scribendo seruato. Enarrans siquidem ille cap. i. vniuersalem orbis creationem, hominem quendam creatum, eiusque coniugem obiter satis, ac contracte nimis scribit; quorum deinde, nec nomina nec sortem, nec posteros dicit, sed nudis his verbis loquitur: »creauit Deus hominem ad imaginem suam: ad imaginem Dei creauit illum; masculum et foeminam creauit eos«.

In cap. vero ii. prolixè admodum, ac explicatissime cuiuspiam hominis, et etiam mulieris formationem describit; ita vt formationis eorum adparatum, atque pompam, nomina vtrique imposita, *Adae* scilicet, et *Euae* adducat; quasi hos duos ab iis qui priori capite relati fuerant, secernere voluerit.

Et hinc factum arbitramur, vix vllum errorem in tota retro antiquitate obseruari, qui grauioribus, quod ad speciem adinet, nitatur fundamentis, vt euincat homines aliquos Adami creationem antecertisse, et mundum huic diu admodum ante Adamum incoluisse. Ea vero vt soluamus hoc ordine proponere decreuimus. Primum: de Caino dicitur Genes. iv. quod fratricidio perpetrato, timore correptus, Deo gemebundus respondit: »ecce elicis me hodie a facie terrae, et a facie tua abscondar, et ero vagus et profugus in terra: »omnis igitur qui inuenierit me, occidet me«. Quibus verbis nullus locus fuisse videretur, si nullam tunc, nisi vnius Adami familiam toto terrarum orbe fuisse supponamus. Quos enim timuit Cain, postquam intellexit palam esse, quod perpetrauerat, fratricidium? Non alios certe quam Iudices suos, ac leges, quibus capite plectendus erat. Ergo praeter Adae familiam alii erant tunc in orbe homines: nam et fugit ille profecto reorum more ad orientalem plagam, quam deinceps aliis hominibus habitam fuisse necessum est; quandoquidem fugienti »posuit Dominus Cain signum, vt non iterificeret eum« omnis, qui inuenisset eum«. Quod signum proculdubio superuacuum fuisset, si nulli in plagis orientalibus homines exiitissent, qui Cainum occidere potuissent.

Accedit, difficultatemque hanc superauget quod Iosephus hac ipsa de re adducit (2): Cainum scilicet, profugum ad orientalem plagam

(2) Lib. i. Antiquit. cap. 5.

gam Eden non vitam in melius mutasse; sed facinorosorum hominum cohorte facta, facultates domesticas per vim et rapinas adculmulasse; »accitis, inquit, vnde cumque latrociniorem, et nequitiam »sociis, magister illis ad facinorosam vitam effectus est«.

Illud etiam grauissimum est, quod eodem cap. iv. Genes. Moses adnotat, nempe, Cainum Ciuitatem aedificasse, et nomen ei ex filii sui Henoch nomine imposuisse. Nam quibus architectis, quibusue fabris Urbem aedificare, quibus etiam ciuibus communire poterat si nulli praeter Adami familiam, quam Cainus deseruerat toto terrarum orbe erant? Neque vero ex familia paterna Colonias illum duxisse verisimile est, dum aufugit, quae Urbem recens a se conditam habitarent.

Quid tamen multis? Etenim et antequam Cainus fratrem occideret, Iudices in mundo fuisse iam constitutos, erectaque tribunalia ad capitalia iudicia exercenda, adeoque magnam ante id temporis hominum multitudinem mundum istum incoluisse, aspera illa Dei in Cainum animaduersio Genes. iv. expressa significat. Haec est: »nonne si bene egeris recipies? Sin autem male, statim in foribus »peccatum tuum aderit«. Non enim aliud hoc est, quam peccatum ad tribunalia, Iudicesque caussarum capitalium iudicandum, puniendumque deferri: nam olim apud Iudaeos in foribus Ciuitatum Iudices pro Tribunali sedebant, ibidemque iudicia sua exercebant: vnde sunt frequentes illae in Sacris Litteris loquendi formulae: Prouerb. scilicet xxxi: »nobilis in portis vir eius quando sederit cum Senatoribus terrae«. Item Iob xxix: »quando procedebam ad portam Ciuitatis, et in platea parabant cathedram mihi«. Psalm. quoque cxxvi. »non confundetur, cum loquetur inimicis suis in porta«. ergo maxima tunc iam in mundo hominum erat multitudo, quorum causis iudicandis Iudices iam fuerant constituti.

Iam secundum Scripturae testimonium adducamus, quo Praedamitae vtuntur. Illud est Paulli ad Rom. v. vbi ait: »vsque ad legem »enim peccatum erat in mundo, peccatum autem non imputabatur, cum lex non esset, sed regnauit mors ab Adam vsque ad Moysen, etiam in eos, qui non peccauerunt in similitudinem praeuariationis Adae, qui est forma futuri«. Ex quibus hoc argumentum eruitur: quum Paullus doceat, ante legem peccatum fuisse, quod quidem non imputabatur, quae lex ista esse poterat, ante cuius laetionem non erat imputatio peccati? Profecto ea non erat Mosayca:

ante illam enim peccatum fuisse, immo et seuerissimè mulctatum, Adae et Caini exempla abunde ostendunt, vniuersale deinde diluuium, ignis in Pentapolitanos immissus, cet. Igitur lex illa, ante quam non imputabatur peccatum, non alia a lege erat, quam Adamo imposuit Deus: si ergo ante hanc legem peccatum fuisse Paulus docet, fuerunt et ante Adamum homines qui peccarant, quibus tamen peccatum non imputabatur, quoniam lex non erat.

Rursum: si ab Adamo vsque ad Mosem mortem regnasse scribit Apostolus, »in eos quoque, qui non peccauerunt in similitudinem praeuarcationis Adae«, nonne manifestum est, et iis quorum non erat ab Adamo origo, imputatum Adae peccatum fuisse? Systema igitur Praeadamiticum a Pauli doctrina non aberrat.

Tertium argumentum prophanae Gentium historiae exhibent, quae mundum longo saeculorum tractu ante Adamum extitisse suadent; vt numerari ii anni possint, quos imperiis suis Chaldaei, Aegyptii, alii que adtribuunt. Atque, si Ciceroni danda fides est (3); »Chaldaei, atque Aegyptii astronomiae scientiam longinquitate temporum innumerabilibus pene saeculis consequuti putantur«. Et Lactantius (4): »Plato, inquit, et multi alii Philosophorum, cum ignorarent originem rerum, supremumque illud tempus, quo mundus esset effectus, multa millia saeculorum fluxisse dixerunt . . . sicut forssae Chaldaei, qui (vt Cicero tradidit in lib. de Diuinatione primo) quadringenta septuaginta millia annorum monumentis comprehensa se habere delirant«. Quum tamen vsque ad Lactantii tempora non quidam sextum millesimum annum esse conclusum ibidem ipse restetur.

Quid vero de Aegyptiorum imperio? Sunt qui restentur auctores, triginta Aegyptiorum familias, easque per tres annorum myriades perdurasse; myriades autem millies decies millia cum tribus annorum millibus computari. Sed et Plinius memorat (5), Aegyptios solitos gloriari, pingendi artem sex annorum millibus in Aegypto floruisse antequam ad Graecos transiret. Similia de Sinensibus adduci possent.

Omnium tamen horum facilis est, et expedita solutio. Et primi quidem speciosa difficultas illico euanescit, si obseruetur, Cainum fratrem Abelem occidisse anno a mundi creatione centesimo trigesimo. Id quod ex mutua duorum Scripturae locorum collatione aperte

(3) Lib. 1. de Diuinat.

(4) Lib. vii. Institutionum, cap. 14.

(5) Lib. xxxv. Nat. Hist.

liquet. Nam Genes. cap. iv. Seth Adamo et Euae datus dicitur ad solatium moeroris, quem ex Abelis nece conceperat: sic enim legitur: »cognouit quoque adhuc Adam uxorem suam, et peperit filium, vocauitque nomen eius Seth dicens: posuit mihi Deus semen aliud pro Abel, quem Cain occidit: at cap. v. scriptum est, Seth genitum esse anno centesimo trigessimo vitae Adami; vbi dicitur: »vixit autem Adam centum triginta annis, et genuit ad imaginem et similitudinem suam, vocauitque nomen eius Seth«. Si ergo tunc circiter Abel occisus est, quando Seth natus est; hic vero natus anno centesimo trigessimo, eodem certe anno fraticidium perpetratum est. Ergo quum iam tunc humanum genus plurimum fuerit propagatum, mirandum minime est, Cainum ob scelus suum gravissimum ab hominibus ex Adami familia procreatis timuisse. Quod propterea caussae fuit, vt in eo Deus signum posuerit, ne quis eum fugientem occideret impune.

Sed et dici quoque poterit, timuisse Cainum fore sibi omnem creaturam aduersam, tam homines, quam bestias terrae; praesertim quum in Hebraeo legatur: »quidquid inueniet me, occidet me«.

Neque obest quod ex Iosepho fuit additum, nempe Cainum ad plagam Orientalem profugum, congregatis vndeque latrociniorum et nequitiae sociis Ducem eorum fuisse. Nam hoc potuit ita fieri, cohortem ex familia sua agregando, non statim quidem ac Abelem occidit, et ad Orientis plagam venit, sed longo tempore interposito; quum longissimam ille vitam, ad octingentos scilicet, et amplius annos, produxerit. Quo tempore genus humanum mirum quantum ex vno Adamo propagari potuerit.

Pari deinde facilitate diluitur et illud quod additum est; neque enim necesse est alios, quam ex Adamo propagatos homines comminisci, qui Ciuitatem de qua Genes. iv. mentio fit aedificauerint, excoluerintque. Quum enim vt Scripturae Interpretes obseruant, ciuitas illa aedificata anno ab orbe condito quingentesimo fuerit, haud est inuerisimile, adeo multiplicatum tunc humanum genus fuisse, vt non vna, sed plures ciuitates ab hominibus ex vno Adamo oriundis aedificari potuerint. Etenim quingentorum annorum spatio posse ex vno homine per nepotes ac pronepotes, per lineas directas et transuersales similem duci multitudinem, multa sunt exempla adstantia. Sumitur vnum ex Exod. xii. vbi sexcenta, et eo amplius hominum millia in exitu Israe-

litici populi de Aegypto fuisse refertur, ex vno Abrahamo, et quidem non amplius, quam quadringentorum annorum spatio, orta, per solam Iacobi lineam.

Ergo turpiter aberrant Praeadamitae, paucos tunc in orbe homines fuisse existimantes; licet paucos Scriptura ex nomine adpeller, nam ideo non omnes a Mose ibi referuntur, quoniam suscepti ab eo operis ratio id non postulabat: Moses enim id tantum sibimet proposuerat, vt per certas ac determinatas generationes ab Adamo hominum primo ad Abrahamum vsque perueniret: ast vt hoc Moses adsequeretur, satis erat, si vel solos Adami filios, ac nepotes enumeraret, per quos rectae genealogiae successio ducta fuit; ceteris silentio praetermissis, velut e quibus transuersales tantum lineae possent duci.

Atque generis humani Protoparentes (quibus officium gignendi praereceptum ea aetate erat, ob mundi propagationem) nongentorum et amplius annorum spatio, quo vita functi fuere, alios peperisse filios praeter tres illos a Mose recensitos, Moses ipse satis inuitt Genes. v. scribens, postquam Cainum, Abelem, et Sethum enumerauerat, „genuitque filios et filias. Et factum est omne tempus, quod „vixit Adam, anni nongenti triginta, et mortuus est“.

Itaque si quolibet nono mense filium ab Adamo genitum ponamus, quod verisimiliter ponendum est, quum annos ille nongentos triginta vixerit, integris quidem viribus, fit inde consequens, mille ducentos triginta septem filios per semetipsum genuisse; praeter eos quos eiusdem filii, ac nepotes, pronepotesque genuerunt.

Neque plus roboris in eo est, quod addunt aliqui, nempe ciuitatem illam longe ante annum mundi quingentesimum a Caino fuisse aedificatam; quando scilicet illi Primogenitus suus natus est; dicente Scriptura: „cognouit autem Cain vxorem suam, quae concepit et „peperit Henoch: et aedificauit Ciuitatem, vocauitque nomen eius ex „nomine filii sui Henoch“. Nam licet talia in Scripturis legantur, ex illis tamen perperam arguitur, fuisse Henoch Caini primogenitum, cuius proinde nomine nuncupata Ciuitas est, vt illius primogenituram celebraret. Quippe fieri potuit, vt ex illius nomine ciuitatem Pater nuncupauerit, quoniam illum plus ceteris diligebat, vel ob causam aliam nobis imperuam. Exemplum suggerunt Scripturae ipsae in Iuda, qui licet Iacobi primogenitus non fuerit, ab ipso tamen et Iudaea cognominata est, et Iudaei.

Ast

Ast et Henoch natiuitatem, et Ciuitatis aedificationem coniungit Moses. Bene habet. Sed familiare historicis sacris est, res tempore inter sese dissitas continue narrare; potissimum quum nihil medium eis occurrat, quod ad suae narrationis materiam, subiectumque propositum facere existiment.

Quod autem de Iudicibus constitutis, prius quam Cainus fratrem occideret, ac de erectis in Ciuitatum portis tribunalibus additum fuit, futillius est, quam vt nostram in refellendo diligentiam desideret. Ex dictis siquidem obuium cuique est, quo tempore Caino Deus dixit: „nonne si bene egeris, recipies: sin autem male statim in foribus „peccatum adert“, magnam hominum multitudinem extare potuisse ab Adamo ipso ortam; quum tunc annus Adami centesimus trigessimus numeraretur. Aliter tamen refelli istud potest, dicendo, non esse omnino certum, Deum Cainum obiurgantem iisdem verbis vsum esse, quibus ad erecta iam in portis Ciuitatum tribunalia alluserit; nam fieri potuit, vt nihil aliud exprimere verbis illis Deus voverit, nisi quod eius delictum statim foret omnibus patefaciendum, ac poena debita plectendum. Moses vero post annos bis mille hanc ipsam rem scribens, quo tempore scilicet, iam erecta in Ciuitatum portis tribunalia fuerant, ea Deo Cainum reprehendenti verba adtribuere potuit quae ad eiusmodi tribunalia alluderent; vt vel hoc modo a Iudaeis facilius caperentur. Etenim in vsu Mosi hoc fuisse, vt vsitatas ea aetate loquendi formulas in Dei ore poneret, ex diluuii historia cap. vii. Genes. descripta constat. Ibi enim Deum Noemum adloquentem his verbis Moses inducit: „ex omnibus animantibus mundis tolles septena „et septena, masculum et foeminam: de animantibus vero immundis „duo et duo, masculum et foeminam“. Quum tamen tunc temporis minime mundorum, et immundorum nomine vocarentur animalia sacrificiis offerendis apta, aut inepta: sed vnice post datam a Deo legem; post annos nempe a diluuii octingentos et amplius, quo tempore a Mose scripta historia ista est. Sed de primo argumento satis diximus.

Secundum, quod obiectum fuit, Paulli scilicet testimonium, primo ipsos Praeadamitas perstringit. Paullus enim ait: „per vnum „hominem peccatum in hunc mundum intrauit, et per peccatum „mors, et ita in omnes homines mors pertransiit in quo omnes peccauerunt“. Ex vnus igitur Adami inobedientia mors dominari coepit, atque omnes reuera moriuntur, quoniam ex ipsius contaminato

se-

semine nascuntur. Itaque illorum Apostoli verborum: «vsque ad legem peccatum non imputabatur», cer. sensus absdubio est, Adami peccatum vnicam causam extitisse, cur homines singuli moriantur; neque in homines mortem regnare propter actualia peccata, quum et ante rationis vsum infantes moriantur, et ante legis promulgationem mortui omnes sint, etiam illi, qui nullum legis praeceptum acceperant. Haec interpretatio Apostoli proposito apprime consentanea, ex strenuissimo illo Catholicae de noxa originaria doctrinae vindice Augustino deprompta, consonat omnino Aegyptiacae D. Pauli Epistolarum versioni, quae in Briani Waltoni poliglortis laudata Apostoli verba sic reddit: «et propterea, quemadmodum per iniquitatem vnus hominis peccatum in hunc mundum intravit; et per illud peccatum aduenit mors super omnes homines, eo quod omnibus hominibus imputatur illud peccatum, etiam non cognoscentibus quid illud peccatum sit. Vsque dum venit lex, mansit peccatum in mundo non cognitum quid fuit, quum peccatum non reputabatur, eo quod non venisset eo tempore mandatum legis. Verumtamen dominata est propterea mors ab Adamo vsque ad Moisen, tam in his qui peccauerunt, quam in iis, qui non peccauerunt, per illud peccatum Adami, eo quod vnusquisque in similitudinem Adami creatus est». (6) Atque hac interpretatione stante, nihil aliud significare verba illa possunt: *peccatum non imputabatur*, nisi quod ante Moisis legem non erat lex aliqua, qua arguente peccatum demonstraretur. sive lex rationis in paruulo, sive lex litterae in populo, vt Augustinus loquitur (7). Vnde dictum est *non imputabatur*, pro non redarguebatur. Quod vero additur: *regnauit mors ab Adam vsque ad Moysen*, sic accipiendum venit, vt nec lex Mosayca auferre peccatum potuerit, nec resurrectionem impertiri. Et haec pro Apostoli testimonio explicando.

Quae vero vltimo loco sunt obiecta de illarum gentium antiquitate, eiusmodi sunt, vt cachinis excipi debeant. Deliria enim, ne quid grauius dicam illa sunt, homine sapiente indigna. Quoniam tamen stulto respondendum iuxta ipsius stultitiam esse monemur, Praeadamitas sic reuincimus: vndenam haec desumpta sunt? An ex Scripturis? Sed haec figmentum hoc euidentissime euellunt, vbi prophagnarum gentium imperia ex Noemi nepotibus exordium habuisse nos-

(6) Tom. v. (7) Epist. clviii.

docent; quandoquidem, vna hac familia excepta, homines vniuersos diluuii aquis submersos fuisse perhibent. Noë autem non ab alio homine, quam ab Adamo, quem ipse Deus de terrae limo efformauit, primam suam originem duxit, hoc ordine inquam, in Genes. cap. v. expresso: Adam genuit Seth, Seth genuit Enos, Enos genuit Cainan, Cainan genuit Malaleel, Malaleel genuit Jared, Jared genuit Henoch, Henoch genuit Mathusalam, Mathusala genuit Lamech, Lamech genuit Noe.

At forte ex historicorum, eorumque probatorum fide talia hauserunt: neque haec eis fauet; quum de illa intelligi possit quod vetustissimum prouerbum tenet, scilicet, *Graeca fides*: adeo inter se pugnantia, et contradicentia sunt quae scripserunt illi. Neque enim cum Iustino Curtius, neque cum Platone Herodotus, neque cum Patetulo Cicero consentiunt; sed alii plures, alii pauciores annos pro arbitrio fingunt. Itaque huius erroris fontem fuisse prophagnarum gentium opinionem ex libris suorum philosophorum depromptam, arbitrantur nonnulli; eam scilicet, quae mundum aeternum esse, semperque extitisse adstruebat. Vnum interea certum viris eruditis est, adsignari nempe, gentium illarum originem posse; quod et praestitere plurimi. Nam de Aegyptiis, Moisis aetatem eos non aequare multa argumenta suadent: atque qui maximam illis antiquitatem adtribuunt, ad Moisis tempora perueniunt, adserentes, vetustissimum Mercurium ipsum esse Mosem. vt firmat Daniel Huetius (8). Chaldaeos praeterea a Saturno Babylonico originem ducere, quem Nembrod fuisse opinamur, scribit Berosus (9). Sinenses etiam annum postdiluuiatum ducentissimum non excedere demonstrat Cupleus (10): quorum deinde Religionem ex Mosaicis libris fluxisse, Huetius memoratus demonstrat (11). Sed de hoc argumento diximus satis.

Tom. II.

T

CA-

(8) Demonstr. Euang.

(9) Apud Wolfngum Latium, libat. de Gentium Migrat.

(10) Cap. v. Proemii in lib. Confucii.

(11) Demonstr. Euang. prop. 4. cap. 6.

## CAPVT III.

*Primi hominis pro ductionem, quum quoad animam, tum quoad corpus declarat: mulieris item formationem explicat, vindicatque.*

Primi hominis anima incorporea et spiritualis licet sit, portio diuinæ substantiæ non est.

Hanc neque extra corpus, neque ante corpus Deus creauit: non tamen ex semine et traduce fuit ea propagata.

Corpus autem Adami neque infantis fuit, neque gigantis: sed nec viri simul et foeminae.

Eam tandem vere de viri latere Deus formauit: cuius formatio literaliter in Genesi narratur.

Harum propositionum prima duo firmat: et primi hominis animum corporeæ naturæ non esse, sed incorporeum omnino et spiritualem, (quod de aliorum etiam hominum animabus certum est) et hunc non esse diuinæ substantiæ portionem, (quod de aliis etiam adserendum erit.) Ac primum quidem Scripturæ docent, in quibus spiritus nomine anima designatur. Ita dum Paullus ad Corinth. I. cap. 2. ait: »quis enim hominum scire potest quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? Ita quæ Dei sunt nemo cognouit nisi spiritus Dei«. Nam Apostolum ibi per spiritum hominis rem subsistentem significare, naturamque a corpore distinctam, illud probat, quod in Graeco *to hominis spiritus* cum articulo legatur, quem admodum *to spiritus Dei*. Sunt quoque in Scripturis loca bene multa, quibus adseritur, animam a corpore separatam persistere, quod rei incorporeæ omnino solius est. Accedit Lateranensis Concilii IV. definitio cap. *Firmiter*, vbi veritatem hanc firmissime tradit. Patrum similiter auctoritas id suadet. Augustinus enim scribit (1): »res spi-

(1) In Psalm. cxlv.

»ritualis est, res incorporea est, vicina substantiæ Dei«. Similia proferunt alii Patres.

Ad hæc ratio multiplex accedit: etenim si humana mens materialis foret, nequiquam tot, tantasque rerum imagines complecti posset, nec percipere corpora vndequeque diffusa, aliaque quæ absque subsidio sensus attingi valent: at mens humana ingentes capit imagines, et lumine interiori ea omnia videt, quæ oculorum vim, ac perspicaciam omnium sensuum fugiunt: ergo illa materialis nequiquam est. Tradit hanc rationem Augustinus (2). Deinde: humanam mentem substantiam quandam esse cogitantem experimur omnes in nobis ipsis: quum igitur in idea substantiæ cogitantis nulla extensio, vel materia intelligatur; neque in mentis humanæ idea talia intelliguntur.

Ast rationalem hanc hominis animam portionem diuinæ substantiæ non esse hoc vno, inuictissimo quidem, Augustini argumento, ostenditur. »Nos enim credimus, inquit (3), Dei naturam atque substantiam omnino esse incommutabilem. Porro autem animæ naturam, vel in deterius, vel in melius commutari posse quis ambigit? Ac per hoc sacrilega opinio est, eam et Deum vnus esse substantiæ«. Augustino ergo auctore, Dei substantia incommutabilis est, anima vero commutabilis, proindeque Deus et anima longe diuersæ naturæ, et substantiæ sunt. Est et alterum eiusdem Augustini argumentum his verbis contentum (4): »omnis substantia vel Deum habet auctorem, vel ipsum auctorem non habet. Si non habet Deum auctorem, Deus est. Si habet Deum auctorem, vel facta est, vel facta non est. Porro quæ facta non est, et tamen ex ipso est, aut genita est ab illo, aut procedit ex illo. Quæ genita est, Filius est vnicus; quæ procedit, Spiritus Sanctus; et hæc Trinitas vnus est, eiusdemque naturæ«. Iuxta Augustinum ergo animæ substantia Deum non habet auctorem, et facta est, atque creatura nuncupatur.

Secunda quoque propositio duo pariter complectitur; et quod animæ hominis ante corpus, seu extra corpus creata non est, et quod ex semine et traduce non fuit, nec modo est. Primum quidem Hieronymi ratiocinio (5) probatur: »nam si fuit anima antequam Adam

T 2

»in

(2) In lib. de quant. animæ cap. 12.

(3) Lib. vii. de Genes. ad litter. cap. 2.

(4) Lib. II. de anima, et eius origine cap. 1.

(5) In Epist. ad Pananchium.

in paradiso formaretur, et vixit, et egit aliquid; necesse est, ut aliqua causa praecesserit, cur quae prius sine corpore fuit, postea sit circumdata corpore; et si naturale est animae esse sine corpore; ergo contra naturam est esse in corpore: ergo resurrectio corporis contra naturam erit: sed non fiet resurrectio contra naturam: ergo iuxta sententiam vestram, corpus, quod contra naturam est, resurgens animam non habebit. Nihil his verbis efficacius. Ad haec: ponere animam hominis ante et extra corpus creatam, et post commissum crimen in corpus velut in carcerem detruderetur, contrarium est Scripturis. Nam haec non aliam causam mundum producendi commemorant, nisi ut bona fierent a bono Deo; legimus enim: vidit Deus cuncta quae fecerat, et erant valde bona. Genes. 1. : at non fuissent illa quae fecit Deus, valde bona, si creata sic anima fuisset, et corpori ita adligeretur foedata: non ergo sic creata illa a Deo est. Est argumentatio Augustini in libris de Ciuit. Dei (6), cuius in re ista auctoritatem sequenti capite vindicabimus. Addamus modo argumentationem S. Thomae limpidissimam (7): si anima rationalis, inquit, extra corpus creata fuit, et ibi habuit naturalis sui esse complementum, impossibile est, conuenientem causam assignare vnionis eius ad corpus; non enim dici potest, quod proprio motu se adiunxit ad corpus, cum videamus, quod deserere corpus non subiacet animae potestati, quod esset, si ex voluntate sua esset corpori vnita. Praeterea, si est creata omnino separata, non potest dici, quare vnio corporis voluntatem animae separatae illexisset. Nec iterum potest dici, quod post aliquos annorum circuitus, naturalis ei appetitus superueniret adhaerendi ad corpus, et quod ex operatione naturae huiusmodi vnio sit caussata. . . Similiter non potest dici, quod a Deo sit corpori adligata, si eam prius absque corpore creauisset; si enim dicatur quod ad eius perfectionem hoc fecit, non fuit ratio quare absque corpore crearetur. Si vero in poenam hoc factum est, ut corpori quasi cuidam carceri intruderetur, sicut Origenes dixit, propter peccata commissa; sequeretur, quod institutio naturarum ex spiritali, et corporali substantia compositarum, esset per accidens, et non ex prima Dei institutione; quod est contra id quod legitur Genes. 1. *Vidit Deus cuncta quae fecerat, et erant valde bona.* Vbi manifeste ostenditur, bonitatem Dei, et non malitiam cuiuscumque creaturae

(6) Lib. xi. cap. 23. (7) Quaest. iii. de Pot. art. 10.

fuisse causam bonorum operum condendorum. Haec S. Thomas, ex quibus inuictissime quod erat demonstrandum arguitur.

Quod autem non fuerit anima ex semine ac traduce propagata, nec modo propagetur, facillimum est demonstrare. Principio enim, quum anima spiritalis et incorporea sit, ut propositione prima ostensum est, neutriquam in seminis decisione potuit propagari vnquam. Deinde: substantia spiritalis in corporea creatura tamquam in ratione causali nequit contineri: scribit siquidem Augustinus (8): si enim qui hoc sentiunt, hoc dicunt corpus, quod et nos, id est, naturam quamlibet longitudine, latitudine, altitudine spatium loci occupantem; neque hoc est anima, neque inde facta credenda est. Quidquid enim tale est, ut multa non dicam, in quacumque sui parte lineis diuidi, vel circumscribi potest; quod anima si pateat, nullo modo nosse posset tales lineas quae per locum secari nequeunt, quales in corpore non posse inueniri nihilominus nouit. At si anima ex semine fieret in creatura corporea tamquam in ratione causali lateret: anima igitur non produceretur ex semine. Huic argumento accedit quod S. Thomas docet (9), nempe: impossibile est, productiuam virtutem, quae in corporali materia reperitur, substantiam spiritualem actione sua adtingere. Haec sunt illius verba: respondeo dicendum, quod impossibile est, virtutem actiuam, quae est in materia extendere suam actionem ad producendum immaterialem effectum. Manifestum est autem, quod principium intellectuum in homine, est principium transcendens materiam; habet enim operationem, in qua non communicat corpus: et ideo impossibile est, quod virtus quae est in semine sit productiuam intellectui principii. Similiter etiam, quia virtus quae est in semine, agit in virtute animae generantis, secundum quod anima generantis est actus corporis, vtens ipso corpore in sua operatione; in operatione autem intellectus non communicat corpus: vnde virtus intellectui principii prout intellectuum est, non potest ad semen peruenire. Et ideo Philosophus in lib. de generatione animalium dicit: *relinquitur intellectus solus de foris aduenire.* Similiter etiam anima intellectiua cum habeat operationem vitae sine corpore, est subsistens, ut supra habitum est: et ita sibi debet esse et fieri, et quomodo sit immaterialis substantia non potest caussari per generationem,

(8) Lib. vii. supra Genes, cap. 21. (9) Prima Parte, quaest. cxviii. artic. 2.

»nem, sed solum per creationem. Ponere ergo animam intellectiuam  
»a generante caussari, nihil est aliud quam ponere eam non subsi-  
»stentem, et per consequens corrumpi eam cum corpore. Et ideo  
»haereticum est dicere quod anima intellectiua traducitur cum se-  
»mine«. Hucusque S. Thomas. Similia argumenta habet aliis in lo-  
cis (10); sed omnia ex animae immateriali natura petita.

Fir ex hucusque adductis consequens, sententiam adserentem,  
animam materiali semine traduci, non solum maximae temeritatis nota  
insimulanda esse, vt vult Estius (11); sed etiam tamquam haec-  
reticam damnandam cum S. Thoma memoratis verbis.

Hinc grauissimus Theologus Melchior Cano de immortalitate ani-  
mae disputationem instituens (12), inter fidei dogmata hoc repo-  
nit, nempe animam non ex traduce fieri, seu per propaginem non  
generari, sed creari a Deo, corporique infundi. Haec sunt illius ver-  
ba: »post Augustini saeculum nemo fidelium in dubium vertit, quin  
»animae rationales creentur ex nihilo, et singulae singulis corpori-  
»bus infundantur, vt Concilii Lateranensis verbo vtat: quod si non  
»generantur vi naturae animae rationales, nec de materiae poten-  
»tia educuntur, sed foris veniunt, nimirum ex se subsistunt, qua-  
»re non cum corpore intereunt«, cet.

Tertia deinde propositio paucis absoluenda est: videremur enim  
nobis ipsi litteris et otio abuti, si de futilissimis hisce rebus serio dispu-  
taremus. Ergo primi hominis corpus infantis aetate non fuisse pro-  
ductum, sed adultum ac robore iuuenili praeditum illud abunde probat,  
quod Adami formatio Dei solius, qui omnipotens solus est, ne-  
que temporis interuallo vsus vmquam est ad suam omnipotentiam ma-  
nifestandam, opus praeclarum fuit. Igitur omnino frustraneum, Deo-  
que indecorum erit, ponere Deum initio naturae ordinem seruantem,  
hominemque, qualis nunc nascitur, procreantem. Atque id Augusti-  
nus suadet multis exemplis adposite adductis (13); ex quibus vnum  
transcribimus. Eccillud: »Quis nesciat, inquit, aquam concretam  
»cum ad radices vitis venerit duci in saginam ligni illius, atque in  
»eo sumere qualitatem, qua in vnam procedat paullatim erumpen-  
»tem, atque in ea grandescente vinum fiat, maturumque dulcescat?  
»Num ideo Dominus lignum quaesiuit, aut terram, aut has tempo-  
»rum

(10) Quaest. III. de Pot. art. 9. et

XI. contr. Genes cap. 89.

(11) § xv. disc. 17.

(12) Lib. XII. de Loc. Theol. cap. 13.

(13) Lib. VI. de Genes. ad litter.  
cap. 11.

»rum moras, cum aquam miro compendio conuertit in vinum, et  
»tale vinum, quod etiam ebrius conuiuia laudaret«?

Verum neque Adami corpus Gigantis statura fuisse factum plu-  
rima suadent. Primo quidem, quod legitur in cap. vi. Genes, nempe  
Gigantes originem a connubio filiorum Dei cum filiabus homi-  
num ducere: non ergo erant ab initio mundi homines eiusmodi super  
terram. Secundo, quia congruum erat, quod aliorum hominum  
protoparens nec pygmaeus esset, nec etiam Gigas. Tertio: nam quo  
contraria opinio nititur fundamentum, imbecillum prorsus est. Illud  
est, quod cap. xiv. Iosue legitur, nimirum: »nomen Hebron ante  
»vocabatur Cariath Arbe: Adam maximus ibi inter Enacim situs  
»est«. Certum est autem ex cap. viii. Numer., posteros Enac staturae  
procerae, et generis gigantei esse. Sed nihil hinc euincitur,  
etiamsi Adamum in Hebron sepultum concedamus; nam maximus ille  
absdubio dici posset ob solam originem, non precisae ob men-  
brum structuram.

Ast haec Hebraeorum traditio de primo hominum in Hebron se-  
pulto non adeo firma, ac constans est, vt ei refragari non liceat:  
praesertim quum nullam ex adlato textu confirmationem habeat; vt  
ex valore vocum hebraicarum colligunt Eruditi, atque Bertius tradit  
(14). Quo quidem stante, illud fit consequens, Adamum nempe  
non esse maximum illum hominem inter Enac posteros, proinde-  
que neque Gigantem.

Sed nec primi hominis corpus, viri simul ac foeminae fuisse,  
apertissime Scripturae commonstrant. Constat siquidem ex cap. ii.  
Genes., hominem iam tunc factum fuisse, quum non inuenietur  
adiutor similis eius; itidem constat ex Epist. Paulli ad Timoth. i.  
Adamum primum formatum, deinde Euam. Illud etiam in Ecclesiast.  
cap. xvii. legimus, creatum scilicet, adiutorium, seu Euam ex ipso  
Adamo; qui proinde mulieris caput in i. ad Corinth. audit. Quae  
omnia corruant opus est, si insana illa opinatio admittatur. Ergo Adami  
corpus Androgynum, id est viri simul ac mulieris ad latus haerentium  
non fuit.

Quartae demum adseritionis veritas aequae expressis ac dilucidis  
Scripturae testimoniis innixa est. Si enim non ex viri latere, vt Mo-  
ses narrat, formata Eua est, quorsum illud Scripturae testimonium  
Genes. ii. adductum. nimirum: »hoc nunc os ex ossibus meis, et  
»ca-

(14) Lib. XII. cap. 2. prop. 1.

«caro de carne mea: haec vocabitur virago, quia de viro sumpta  
 «est? Similiter et falsus fuerit Ecclesiastici auctor opus est, qui  
 «primorum parentum creationem commemorans cap. xvii. ait: «Deus  
 «creavit de terra hominem, et secundum imaginem suam fecit il-  
 «lum: creavit ex ipso adiutorium simile sibi. Falsus item Paulus,  
 «qui vt probat, oportere mulierem viro subesse, in 1. ad Corinth.  
 «scribit: «non enim vir ex muliere, sed mulier ex viro. Neque enim  
 «haec, et his similia quamplurima componi cum ea sententia pos-  
 «sunt, quae mulierem vna cum viro a Deo eadem prorsus ratione  
 «formatam dicit. Quid ergo? Recedendum a proprio et literali Scri-  
 «pturarum sensu erit, vt ad metaphoras veniamus, easdemque apre-  
 «mius? Aberrare hoc esset, et a vera Patrum semita deuiare: quorum  
 «perpetua, constansque traditio est pro Mosaicae huius narrationis ve-  
 «ritate adserenda. Ergo quae de productione primae mulieris in Ge-  
 «nesi scripta sunt, historice et literaliter, non translate accipienda sunt,  
 «nisi in errorem prolabi velimus. Sed de his abunde infra.

## CAPVT IV.

*Errorum his veritatibus contradicentium notitia exhibetur:  
 fundamenta enervantur.*

In primi hominis, ceterorumque proinde, anima peruersae nimis, im-  
 maniter etiam, erratum esse, Augustinus testatur (1), vbi quaedam  
 enumerat aperte peruersa, et fidei catholicae aduersa, quorum pri-  
 mum illud est, Deum non de nihilo, sed de se ipso animam fe-  
 cisse. Ethnicorum ferme omnium hinc error olim fuit, quorum alii  
 animam diuinæ aerae particulam, vt Horatius, alii aetherium sen-  
 sum, vt Virgilius, alii tandem a coelesti arce dimissum sensum, vt  
 Iuuenalis, vocauerunt. Et hunc errorem ex duabus antiquorum positio-  
 nibus originem ducere, his verbis S. Thomas declarat (2): «primi  
 «qui naturas rerum considerare coeperunt, imaginationem transcen-  
 «dere non valentes, nihil praeter corpora esse posuerunt, et ideo  
 «Deum dicebant corpus quoddam esse, quod aliorum corporum iu-  
 «dicebant esse principium: et quia animam ponebant esse de natu-  
 «ra illius corporis, quod dicebant esse principium, per consequens  
 «se-

(1) Lib. iii. de Origin. animae,  
 cap. 14.

(2) Prima Parte, quaest. xc. ar-  
 tic. 1.

«sequebatur, quod anima esset de substantia Dei, iuxta quam po-  
 «sitionem Manichaei Deum esse quandam lucem corpoream existi-  
 «mantes, partem quandam lucis illius animam esse posuerunt cor-  
 «pori adligatam. Atque hunc teterrimum errorem a Priscillianistis  
 «IV. Ecclesiae saeculo apratum, et in Hispaniis longe lateque gras-  
 «santem Synodi plures anathematizarunt. Has inter Toletana I. de re-  
 «gulis fidei disserens cap. xxi. his verbis: «credimus et animam ho-  
 «minis non diuinæ esse substantiae . . . sed creaturam dicimus, Dei  
 «voluntate creatam . . . si quis dixerit, vel crediderit animam huma-  
 «nam Dei portionem, vel Dei esse substantiam, anathema sit. Item  
 «Braccarensis I. Can. v. definiens: «si quis animas humanas, vel An-  
 «gelos ex Dei credit substantia extritisse, sicut Manichaeus, et Priscil-  
 «lianus dixerunt, anathema sit.

Alterum erroris fontem indicat laudato loco S. Thomas, scri-  
 bens (3): «secundo vero processum fuit ad hoc, quod aliqui quid-  
 «piam incorporeum esse apprehenderunt, non tamen a corpore se-  
 «paratum, sed corporis formam: vnde et Varro dixit, quod Deus est  
 «anima, mundum intuitu, vel motu et ratione gubernans, vt Augu-  
 «stinus narrat lib. vii. de Ciuit. Dei, cap. 6. Sic igitur illius totalis  
 «animae partem aliqui posuerunt animam hominis, sicut homo est  
 «pars totius mundi, non valentes intellectu pertingere ad distinguen-  
 «dos diuersos spiritualium substantiarum gradus, nisi secundum di-  
 «stinctiones corporum. Fuit et Stoicis hic error communis, quibus  
 «mundus totus non solum sapiens, sed et Deus erat, vt apud Cice-  
 «ronem Cotta Academicus refellit (4). Fuit quoque Spinoesae, impli-  
 «simo certe homini, familiaris, si iis qui illius opera sedulo legerunt,  
 «fides danda. Est denique et hac tempestate, eorum qui purae ratio-  
 «nis cultores sese produnt, quos Deistas vocamus, quum gentile illis  
 «sit, suae Religionis fundamenti loco ponere, Deum non mundum ip-  
 «sum, sed eius animam esse, materialem illum quidem (quum nullus  
 «sit spiritus) subtiliorem tamen, deliciosemque materiae portionem;  
 «atque omnes hominum, ac bestiarum animas, animae mundi parti-  
 «culas esse, quae dissoluto, quum moriuntur, corpore, iterum cum  
 «suo toto miscentur, ac confunduntur, vasorum instar esse, quae  
 «aquae plena in mari natarent, quorum, si frangantur, aqua cum  
 «mari misceretur, non aliam esse singularum animarum sortem,  
 «quan-

Tom. II.

V

»quan-

(3) Vbi supra. (4) Lib. iii. de Natur. Deorum, num. 9.